

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Descriptio eiusdem Martyrii. Cap. LIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

*Descriptio eiusdem Martyrii.*

CAP. LIX.

**I**llud verò cùm in infinitam extruxisset altitudinem, lapidumque omnis generis ac crustarum varietate, ab ipso solo ad superiore contignationem collustrasset, summo artificio factis laquearibus tectum intus complexus est, auroque vniuersum contexit. Supra verò pro tegula inductum æs, à toto opere imbrium iniurias arcebat. Quod ipsum etiam multo auro fulgebat, ita ut longè contemplantibus, per reciprocatos solis radios incredibilis splendor offundi videretur. Interiorem ædis partem vndique in ambitum circumductam reticulari opere ex ære & auro affabre facto conuestiuit. Ac templum quidem hunc in modum permagna Imperatoris, & cura, & studio exornatum est. Huic autem atrium ingens, & subdiale circundatum in apertum, purumque aerem explicabatur. Huius per quatuor latera porticus erant dispositæ, quæ medium atrium cum templo ipso complectabantur. Porticibus accommodabantur regia domus, balnea, deambulatoria, aliæ habitationes plurimæ, ad necessitatem illorum qui locum custodirent, constructæ. Hæc omnia dedicauit imperator, ut Seruatoris nostri Apostolorum memoriam apud omnes gentes æternitatem compararet. Attamen in ipsa coædificatione etiam aliud quiddam spectabat, quod primis temporibus obscurum, ad extremum ab omnibus manifestè deprehensum est.

*Quod in eodem Martyrio monumentum pro tumulo sibi inædificauerat.*

CAP. LX.

**H**IS igitur in oportunum venturæ mortis diem hic locum sibi prouida dispensatione designauit, incredibili fidei propensione prouidens cum iam corpus suum communem cum Apostolis appellationem post mortem participaret, fore ut defunctus quoque preicationum quæ ibidem essent ad Apostolorum gloriam offerendæ, particeps efficeretur. Quare cappas illic duodeciū quasi sacras quasdam columnas ad Apostolici collegij honorem memoriamq; attol-